



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCCIC. Markgraf Ludwig vereignet dem Kloster Halsbrun die Probstei und
Pfarrkirche zu Bernau, am 26. Februar 1345.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCC. Markgraf Ludwig verzeiget dem Kloster Halsbrunn die Propstei und Pfarrkirche zu Bernau, am 26. Februar 1345.

In nomine domini amen. Humane fragilitatis labilis memoria ne gestarum rerum nota successiuis temporum cursibus et momentis dubium ingerat posteris actus suos consuevit scripturarum testimonio solidare. Quare nos Ludouicus, Brandenburg. et Lusatie marchio, comes palatinus rheni, Bavarie et Karinthie dux, sacri romani imperii archicamerarius, tenore presentium publice profiteamur, quod ibi summe felicitatis affectamus capere meritum, vbi meritum irremuneratum et malum non permanet impunitum. Deliberatione siquidem matura prehabita, secretariorumque nostrorum consilio prouiso prehabito, honorabilibus viris et discretis abbati priori et conuentui monasterii Halsprunne, cysterciensis ordinis, dyoecesis Eystetensis, dedimus, donauimus, appropriauimus ac damus, donamus et appropriamus preposituram et ecclesiam parochialem ciuitatis nostre Bernow cum singulis et vniuersis ipsarum pertinentiis ecclesiasticis seu mundanis ad ipsas ex debito et ex iure quocunque censeantur nomine pertinentibus perpetuis temporibus sine inquietatione qualibet nostri nostrorum heredum successorumque nostrorum tenendas regendas pariter et habendas. Volentes siquidem donationem et appropriationem prepositure et ecclesie cum ipsarum pertinenciis premissis deliberate ob id, vt altissimum pro predecessoribus nobis heredibus et successoribus nostris incessanter inclament et inuocent inconuulsam tenere pariter atque gratam. Renuntiantes renuntiatione sollempni pro nobis heredibus et successoribus nostris vniuersis omni iuri actioni vel impetitioni nobis in prepositura et ecclesia premissis vel ipsarum pertinentiis qualitercunque nominatis ecclesiasticis vel mundanis quomodolibet competentibus ac si de facto vel de iure competere possent aliquo modo in futurum, Tali modo quod abbas prenotatus vel eius vices gerens in prepositura et ecclesia premissis nobis heredibus et successoribus nostris in singulis et vniuersis, in quibus ceteri rectores ipsarum predecessoribus nostris et nobis obedire parere et intendere consueuerant sine contradictione siue dolo quibuscumque obediunt pareant fideliter et intendant. In cuius etc. Testes Albertus de Wolfsteyn, Johannes de Hausen, camere nostre magister, wilhelmus de Bombrecht pincerna, Berengerus Hele marscalcus, Hartmannus magher (Copial: magir), Bertoldus de Ebenhusen, magister coquine, milites, cum ceteris. Datum et actum in ciuitate Franckenforde, anno domini M^o. CCC . XL^o. quinto, Sabbato proximo ante dominicam qua cantatur oculi.

Nach dem Original im Nürnbergger Archive und nach dem im Geh. Kab.-Archive befindlichen Copialbuche Ludwigs, betr. die Vogtei Bernau Nr. 29, am letztern Ort mit der Bemerkung: Ista littera est ipsis dupliciter data ex iussu domini Marchionis.